

omnium portasti creatorem: genuisti, qui te fecit, et in aeternum permanes virgo. Ac rursus: Virgo Deum, et hominem genuisti, et post partum virgo inviolata permansisti. Et complures quidem hymni de more veteri decantantur, in quibus eadem veritas publice confirmatur, nimirum gratulante sibi Ecclesia de Mariae perpetua virginitate, velut de monili pretiosissimo. Hinc illud carmen ex Fortunato repetitum:

Radix Iesso iam floruit, et virga fructum edidit.  
Fœcunda partum protulit. Dei virgo mater per-  
(manet.)

Ac tandem ultimum anulum huic catenae adnectat Cardinalis Baronius, vir hoc nostro saeculo pietate, et doctrina conspicuus, qui (primo tomo *Annalium in principio folio 50.*) haec scripsit: Cum naturae Dominus gignatur, naturae legibus non tenetur, quae conceperat sine viro, parit sine dolore; et quae virgo semper fuerat ante partum, aequae permansit in partu, ac subinde eadem perseveravit post partum. Unde in Ecclesia Dei a perpetua virginitate consecuta est cognomentum: nam quantumvis Dei mater esset, quo excellentior nullus est titulus, tamen nunquam nominari a maioribus consuevit sine superaddito cognomine Virginis. Unde in hanc sententiam, haec Epiphanius (haer. 78) inquit: O quis unquam, aut quo saeculo ausus, et proferre nomen sanctae Mariae, et interrogatus, non statim intulit Virginis vocem? Ex ipsis enim nominibus, et epithetis, etiam virtutis signa elucet: dignitatis enim appellationem acceperunt iusti, unusquisque decanter, ut congruum fuit; et Abraham quidem impositum est epitheton, amicus Dei, et non dissolvetur: Iacob vero, ut Israel vocetur, et non alterabitur: Apostoli, Boanerges, hoc est, filius tonitru, et non relinquatur; et s. Mariae vox, Virgo, et non mutabitur, impolluta enim permansit, et sancta; haec Epiphanius. Quae ergo in partu, et post partum virgo dicina virtute permansit, aequae sine dolore parturit, nec aliquo indignit obstetricantis obsequio: sed ipsa genitrix, et obstetricatrix devotum dilectae soboli exhibet clientelam, attrahat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam: totum negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturae contumelia in puerperio; haec apud Cyprianum. Nihil sane commune cum ceteris mulieribus habuit, ut non sicut illae, peccati poena ita exposcente, cum dolore pareret, vel quae partum sequuntur, experiretur molestias lassitudinis: hinc et s. Zeno episcopus Veronensis de his agens, haec ait (ser. 6. de nat.): Non mater eius, tanti partus pondere exhausta, totis pallens incuit resoluta visceribus, non filius matris, aut suis est ullis sordibus delubatus; neque enim revera aliquid circa se habere possit immundum, qui humani generis peccata, sordes, et maculas venerat mundaturus: denique purgationes, quae sunt tarditate periculosae, nullo puerum maternorum viscerum secutae sunt damno; nulla adhibita rudifetate, sueto more, fomentis; neque enim, fratres, his poterat indigere, quae accipere in utero meruerat animarum omnium Salcatorem; haec ille. Quae autem mox subdit de poena

incredulae obstetricis, et sospitate eidem restituta, haud dubium ex apocryphis est mutata; sic enim ait: Maria incorrupta concepit, post conceptum virgo peperit, et post partum virgo permansit. Obstetricis incredulae periclitantis enixa in testimonium repta, eiusdem esse virginitatis, incenditur manus, qui tucto infante, statim eadem illa flamma sopitur: sicque illa medica feliciter curiosa, dum admirata mulierem virginem, admirata infantem Deum, ingenti gaudio exultans, quae curatum generat, curata recessit; haecenus Zeno; sed non alimunde, ut diximus, quam ab apocryphis accepta. Refelluntur praedicta de obstetricis obsequio ex his, quae Athanasius (ser. de nat. Christ. apud Lip. tom. 8) scribit his verbis: Quae sine dolore aliquo mater fuit, eadem et obstetricis munere sancta est, cum a nulla muliere didicisset: non enim permisit quemquam impuris manibus attritare partum ab omni labe purum: illa per se eum, qui ab ipsa, et pro ipsa genitus est, suscepit, panis involcit, et in praesepio reclinavit; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

### HOMILIA XIII.

Omnia, quae tam Gentiles, quam Iudaei, et Haeretici adversus integerrimam Mariae virginitatem obiectant, inania, et futilia esse commonstrantur.

Cum d. Ildephonsus (in lib. de perpet. Virg. Mariae, et eius parturit. cap. 1) dicat: Pro ea contra haereticam pravitatem dimicare, ac vincere, opus est Spiritus sancti, qui omni obmucronavit, ut sine coitu viri, et sine ulla corruptione Deum, et hominem pareret, virgine semper maneret; liceat mihi, quamquam non nihil concionatorii muneris limites transilire videar, ut qui hucusque divini Spiritus, ut arbitror, favente aura, quibus potui argumentis, et monumentis perpetuum Dominae meae Deiparae Mariae virginitatem constabilliv, eandem ab haereticorum calumniis, et cavillibus nunc acerrime vindicem. Impudentissimi haeretici vehementer in illam debacchati sunt, diversimode tamen; nam Ebionitae, teste divo Clemente (lib. 6. const. cap. 6), et Cerinthus, et Carpocrates, ut referunt divus Irenaeus (c. 26), et Tertullianus (lib. de praes. haeret. cap. 38), in ea sacrilega fuerunt sententia, ut dicerent, Virginem concepsisse ex Iosepho, quem putabant esse verum patrem Christi Domini. Alii vero, ut Iovinianus, auctore divo Augustino (de haeresibus cap. 82), et (lib. 2. contra Iulianum, sero in principio), et Gualterus cum multis eius asseculis, ut scribit Tritheimus (in Chron. anno 1315), Molineus, et Protestantes huius nostrae tempestatis affirmant, beatam Virginem in conceptione servasse virginitatem, illam tamen in partu amisisse. Alii tandem haeretici, quos vocant Antidicomarianitas, idest, Mariae contrarii, ut referunt d. Hieronymus (contra Iovin.), et d. Augustinus (haer. 84), et d. Hilarius (Cap. 1. in Matth.), affirmarunt, beatam Mariae virginitatem, tam in conceptione, quam in partu integram permansisse, postea tamen dicunt violatam fuisse per actus matrimoniales cum Iosepho. Ad haec haeretica deliramenta moventur primo, qui in sacra Scriptura saepe dicuntur nonnulli fratres Christi; non ergo semper virgo servavit virginitatem. Quod si respondeas cum divo Hieronymo (contra Hel.), et cum divo Augustino (lib. 22. contra Faust. cap. 35), fratres Domini ita appellari propter sanguinis propinquitatem, non quia nati fuerint ex Maria; contra obiectum, quia si solutio haec semel admittatur, nullus erit firmus locus sacrae Scripturae ad probandum aliquos fuisse veros fratres, quia quisque poterit dicere, ita appellari propter sanguinis propinquitatem, non quia ex eadem matre ortum habuerint: tum quia divus Matthaeus (cap. 1) vocat Christum primogenitum Mariae; habuit igitur alium secundogenitum, cum primum non nisi per relationem ad secundum dicitur. Quod si eisdem aliter respondeas cum Epiphano (haer. 51), et Origene (in Matth. 3), Occumenio, et aliis Patribus graecis, fratres Domini appellari eos, qui erant filii Ioseph ex alia uxore, quam antea habuerat, et ideo sicut Ioseph, secundum vulgi opinionem, erat pater Christi, sic filii Ioseph secundum eandem erant fratres Christi; contra obiectant, quia in evangelio assignatur manifeste alius pater fratrum Domini praeter Ioseph: nam Iacobus minor, qui frater Domini dicitur, appellatur Iacobus Alphaei apud Marcum (cap. 3), et Lucam (c. 6), ubi etiam Iacobus maior dicitur Iacobus Zebedaei: est autem evidens, sic appellari, quia ille filius erat Alphaei, iste Zebedaei: nam secundum phrasim sacrae Scripturae filius a nomine patris cognomen accipiebat, prout tunc moris erat, ut clare constat ex Machab. (c. 1), ubi Alexander Philippi dicitur, quia filius Philippi erat. Ad hanc obiectionem, omnia secunda solutione, admitto primam: ad impugnationem vero illius primum respondeo, quod licet ex vi huius vocis, frater, non colligatur semper esse verum fratrem, colligitur tamen ex contextu, et ex aliis sacrae Scripturae locis, ubi id palam traditur. Ad secundam vero impugnationem respondeo, primogenitum dupliciter posse sumi, positive, et negative; positive, quando dicit relationem ad secundogenitum; negative vero, quando solum importat negationem prioris filii, sicut, quando in lege praecipiebatur offerri primogenitum, sine dubio comprehendebatur unigenitus, alias nemo obsecraret ad offerendum unigenitum, quousque nasceretur alius secundogenitus; quod est aperte falsum. Vel aliter dici potest Christus primogenitus, non respectu sequentium carnalium, cum nullum alium habuit, sed respectu adoptivorum; licet enim unicum Virgo in sanctissimo utero genuerit, in eo tamen spiritua-liter facta est mater magnae multitudinis filiorum, quorum Christus est primogenitus. Ac tandem aliam d. Epiphanius (haer. 78) evan-gelista, filium suum significavit ex virgine secundum carnem genitum, in cognomine vero primogeniti, non amplius vocem suam apposuit, sed primogenitum solum; quasi diceret:

peperit filium suum Virgo, primogenitum vero aeterni Patris. Subiungit etiam idem s. Epiphanius duplicem aliam interpretationem in haec verba: Primogenitus, inquit, quoniam primogenitus est, priusquam essent creaturae, et primogenitus inter multos fratres, iuxta Apostolum, non iuxta eum, qui est a Maria, velut alii sint ex ipsa, sed inter eos, qui digni facti sunt accipere per ipsam adoptionem in filios.

Secundo obiectant haeretici duplicem locum sacrae Scripturae: primus est ille, quem ex veteri lege (Exod. 13) refert d. Lucas (c. 1): Omne masculinum adaperiens vulvum, sanctum Domino vocabitur: ubi Israelitis praecipiebatur primogenita sua Deo consecrare; et d. Lucas indicat ibi, hoc praecceptum etiam pertinere ad Christum, ut Mariae primogenitum: ergo supponit illum aperuisse matris vulvum; unde d. Epiphanius (haer. 78) circa finem ait: Hic est, qui vere aperuit uterum matris: et Tertullianus (lib. de carne Christi circa finem): Ideo inquit Paulum dixisse factum ex muliere, non ex virgine, quia Christus egrediens ex utero adaperuit eius vulvum antea clausum, ut in posterum non virgo potius, quam mater dicenda sit: ubi etiam ait: non est virgo a partu. Et Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, et Amphiloehus (hom. de Purificat. seu de occursu Domini), et d. Ambrosius (lib. 2. in Luc. cap. de Circumc. et oblatione Sabaot), et Origenes (hom. 14. in Luc.), et alii, affirmant Christum nascendo matris vulvum aperuisse, idque singulare fuisse in Virgine, quod aliis mulieribus aperitur in conceptione, Mariae vero solum in partu. Secundum locus est (Matth. 1): Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Scripturae, antequam conveniret, inventa est in utero habens de Spiritu sancto: ergo supponit postea convenitur: sicut enim de non cursuro, non dicitur antequam curreret, et de non pransuro, antequam pranderet; ita dici non potest de non convenituris, antequam conveniret. Quod si respondeas cum Remigio, convenire idem ibi significare, quod cohabitare in eadem domo, sicut d. Paulus accipit (1. ad Corinth. 11), dum ait: Conventibus vobis in unum, iam non est dominicum coenae manducare, atque ideo cum dicitur: antequam conveniret, subintelligendum esse in aedes propriae Ioseph ad simul in eis cohabitandum; quam expositionem confirmat id quod angelus dixit Ioseph: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, hoc est: noli timere illam ducere in domum tuam: nam quantum ad matrimonium contractum iam illam acciperat. Contra est, tum quia Matthaeus paulo post praedicta verba subdit: Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum: quibus aperte indicat post partum eam cognovisse, cum adverbium donec ex proprietate sermonis significat determinatum tempus, quo expleto fiat, quod usque ad illud tempus non fiebat. Nec inval responso Epiphanius (haer. 78) referentis verbum illud cognoscebat, non ad carnem, sed ad mentis cognitionem, quia, inquit, ante partum Ioseph non satis percipiebat dignitatem et excellentiam Virginis, quam tamen post partum melius cognovit; et ideo evangelista dixit: non cognoscebat eam; donec peperit filium

sum: haec inquam responsio non satisfacit, quia textu minime quadrat, ut facile patebit legenti; aperte enim ibi verbum *cognoscendi* significat carnis cognitionem, sicut (*Genesis 4*), dum ait, quod *Adam cognovit uxorem suam*: et in hoc sensu communiter omnes Patres interpretantur verbum illud: tum etiam impugnat principalis huius obiectionis solutio, quia b. Virgo, et Ioseph ante conceptionem Christi habitabant in eadem domo; ergo verbum illud, *antequam convenirent etc.* non potest ibi significare cohabitationem, sed congressum utriusque. Consequentia, ut multis videtur, est evidens, et illam docet expresse divus Chrysost. (*homil. 4. in Matth.*), et d. Thomas (3. p. q. 29. art. 2. ad 2): et ratio a multis indicatur moraliter evidens, quia alias non fuisset provisum famae b. Virginis, nam quando sponsa cohabitans cum sponso concepit, conceptio merito indicatur maritalis; ante cohabitationem autem semper est suspecta, et addit d. Thomas hanc sententiam esse magis consonam evangelio, quia Matthaeus (c. 1) ait: *Voluit occulte dimittere eam*: ergo supponit iam ad cohabitationem venisse antea admissam: nam, ut recte dixit d. Ambrosius (*lib. 2. in Luc. in princ.*), quam non accipit, nemo dimittit, et ideo qui volebat dimittere, fateretur acceptam. Ad hanc secundam haereticorum obiectionem respondeo, primum locum d. Lucae nihil urgere, quia eius difficultas bifariam evanescit: primo dicendo, quod sicut *claudere vulvam* in sacra Scriptura significat, *insecundam, et sterilem reddere foeminam*, ut patet ex *Genesis 29.* et *30. ex 1.* Regum cap. 1; sic etiam e contrario *aperire vulvam* significat *foecundam reddere, seu fecunditatem illi conferre*. Secundo respondeo, ibi non esse sermonem de apertione uteri, sed de apertione effecta, hoc est, de egressu ab utero materno: Christum aperuisse matris vulvam, nihil aliud intendunt dicere, quam Christum ex clauso utero matris prodidisse, non minus quam si illum re ipsa aperuisset, sicut (*Matthaei 3*) dicitur: *Et ecce aperti sunt coeli, et vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, et venientem super se*. Ita enim vere Spiritus sanctus de coelo descendit, ac si vere aperuisset coelos. Ita Christus tam vere de clauso utero Virginis nascendo egressus est, ac si illum aperuisset: et (*Marci 1*): *Vidit coelos apertos*, non quod in coelis apertio aliqua sit facta, sed quod de coelis vox sit audita; et (*Act. 7*): *Vidit coelos apertos*; nimirum, quia Christum in coelis existentem sine impedimento videbat: et (*Marci 7*): *Apertae sunt aures eius*, quia vox iam audiebatur. Unde Hieronymus (*lib. 2. cont. Pelag.*): *Solus, inquit, Christus clausas portas vulvae virginis aperuit, quae tamen clausae iugiter permanerunt*. Nec alio modo intelligi potest aperuisse, et tamen clausas semper permansisse, nisi quia non vere aperuit, sed tamen vere exiit, ac si aperuisset. Sic quoque interpretatur Graecus auctor in Catena d. Thomae, qui ait, vulvam virginalem naturaliter semper clausam fuisse, licet supernaturaliter illam Christus aperuerit, hoc est, per eam exierit, iuxta Ezechielis va-

ticinium, *de porta orientali clausa per quam solus princeps egreditur*, quae nihilominus semper clausa permanet. Hinc etiam pertinet Ambrosii comparatio (*epist. 11*), qui scribit Christum sic exiisse de utero Virginis sicut aquae fluxerunt de petra. Constat igitur ex his, quae sit vera intelligentia illius loci, necnon verborum sanctorum Patrum.

Solum vero Tertullianum moderni omnes damnant asserentes, verba illius manifestam haeresim continere; verum ego existimo quod licet verba, quae de illo referuntur, simpliciter sumpta falsitatem praeferrant, si tamen ad scopum, ad quem illa dirigebat, respiciamus, nihil continent contra perpetuam Deiparae virginitatem; intendit enim ibi probare contra Marcionem haereticum, quod licet Maria esset virgo, vere tamen peperit Christum. Unde cum ait: *Non esse virginem a partu*, solum vult, quod ab alio habet formaliter, quod sit virgo, et ab alio quod sit mater: sicut enim Deus ab alia ratione formalis habet, quod sit unus, et ab alia, quod sit trinus, licet aliquin re ipsa intrinsece sit; ita Deipara Maria per rationem formalem, per quam est mater, non est virgo; nec per rationem formalem, per quam est virgo, censenda est mater: a clausura enim virginea virgo est, a conceptu vero et partu mater. Vere ergo ait Tertullianus, non esse dicendam virginem a partu in sensu explicato, seu a maternitate, sicut non est mater a virginitate: minime igitur negat ille Mariam esse virginem post partum, ut falso quidam calumniantur, non attendentes ad iutenium illius in eo capite.

Deinde tertio respondeo: *aperire vulvam* secundum phrasim sacrae Scripturae non significare re ipsa vere aperire, et clausuram disrumpere, sed nasci primum ante alios, quia qui primus nascitur, viam aliis post se nascituris aperire videtur, licet hoc de facto Deiparae non contigerit, qui unicum solum habuit filium; unde masculus, qui post feminam nascebatur, etiam si primus masculus esset, non offerebatur in Templo, quia ille non indicabatur aperuisse vulvam, sed apertum invenisse. Haec expositionem sequuntur Rupertus (*lib. 2. de Trin.*), Abulensis (*cap. 13. Exodi in princip.*), et Iansenius (c. 10. *suae Concordiae*). Ad secundum vero locum: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*: dico perperam haereticos ex eo colligere, postea convenisse; sicut enim ex verbis illis libri primi Regum: *Hieli habitavit in leco suo, et oculi eius caligaverant, nec poterat videre lucernam, ante quam extingueretur*, male quis colligeret, quod extincta lucerna, cerneret; ita certe ex illis verbis: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, absurdissime colligitur postea convenisse; immo fortius inveniunt non convenisse, post inventam illam gravidam esse virtute Spiritus sancti; nam si antea Ioseph non teligerat virginem, manifestissimum est postea non fuisse tangere, quam cognoscebat sacramenti Spiritus sancti, ac veram sui Creatoris matrem; unde eleganter d. Hieronymus huius doctrinae non immemor dixit: *Requiro, cur absti-*

merit Ioseph usque ad partus diem? respondet, quia angelum audiverat dicentem: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Qui ergo somnio tantum credidit, ut uxorem non aude- ret tangere, is, postquam pastorum voce cognoverat, angelum Domini venisse de coelo, et ad eos dicitur: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum; et Gloria in excelsis Deo: et Simeonem iustum: Nunc dimittis servum tuum Domine: Annam prophetissam, Magos, stellam, angelos viderat, qui, inquam, miracula tanta cognoverat, Dei templum, Spiritus sancti sedem, Domini sui matrem audebat attingere? haecenus d. Hieronymus. Deinde, quia apte satis convenire potest accipi per deductionem a domo paterna ad proprias aedes, et ad convicium, et familiaritatem: vere enim dicuntur convenire, qui simul vivunt, et conversantur; in quo sensu d. Paulus (1. Cor. 54) dixit: *Cum convenitis, unusquisque vestrum psallum habet: unde sumpto vocabulo convenienti pro deducendi in propriam domum, recte colligitur, quod postquam Ioseph cognovit eam concepit de Spiritu sancto, deduxit illam in domum propriam, et cum ea ad communem mensam et convicium convenit. Nonnulli etiam, ut refert d. Thomas (3. p. q. 28. art. 3), idem verbum cognoscebat, cognitionem oculorum significare existimant, hoc sensu: Non cognoscebat oculis Ioseph Virginis vultum, donec peperit: nam quamdum in utero Deum gestavit, tantum e vultu splendorem emicabat, ut Ioseph ipsam perspicue intueri nequeat, quem in modum Israelitae fulgidam Moysis faciem intueri non valebant, ut Exod. 34. et 2. Cor. 3. memoriae proditum est. Immo et ipse d. Thomas ibidem haec scribit: *Dicit Chrysostomus, quod non cognovit eam Ioseph, antequam pareret, cuius fuerit dignitatis; sed postquam peperit, tunc cognovit eam, quia per ipsius prolem speciosior et illustrior facta fuerat, quam totus mundus.***

Tandem ad locum illum, quo Helvidius deceptus est: *Ioseph autem non cognovit eam, donec peperit filium suum*, dicendum est, per particulam illam, *donec*, non affirmari aliquid, quod posteriori tempore efficiendum sit, sed solum negari effectum fuisse usque ad illud tempus; ut si quis dicat, antequam audirem suum, iter arripui, non statim efficitur, quod post arripitum iter, illud audiverit; et in *Genesis (cap. 8)* dicitur, missum fuisse corvum, qui non revertatur, donec siccentur aquae: et tamen constat postea non reversionem fuisse, quando siccatae sunt aquae: et David (*Ps. 109*) ait: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: ubi non est sensus, quod postquam posuerit inimicos sub pedibus, non debeat amplius sedere ad dexteram; ad hunc modum etiam ait Dominus per Isaiam iuxta versionem LXX. Interpretum: *Ego sum, donec senescatis*: numquid inferri poterit: ergo non erit Deus post illorum senectutem? et si quis dixerit: maritus uxorem non cognovit, donec mortua est, recte colligit impius Helvidius: ergo post mortem illam cognovit? Sicut ergo si forte Ioseph, cum primum Virgo peperit, e vita discessisset, vere diceret Matthaeus Ioseph, non cognoscebat eam, donec

peperit, nec tamen ullo modo sequeretur: ergo cognovit, postquam peperit, cum iam esset mortuus; ita quod mors in Ioseph effecisset, id Virginis admirabilem dignitatem, Iosephique votum effecisse affirmamus, ut stupenda Virginitas dignitas, et Iosephi votum omnem prohiberet coniugalem accessum.

Tertio obiicitur: quia, vel corpus Christi in nativitate exivit ex thalamo materno per claudrum virginale, vel non: si delur hoc secundum, Christus non fuit vere natus ex Maria: contra symbolum Nicaenum: de ratione enim nativitalis humanae est, quod sit per consuetum parientium locum; si vero delur primum, contra est, quia naturales viae angustiores sunt, quam ut intra se capere possint corpus pueri; ergo oportet, ut ipsae dilataentur, et laxentur, ad modum, quo os dilatari solet; vel corpus ipsum pueri comprimatur, et condensetur, vel partes ipsae pueri inter sese penetrantur: quae omnia habent manifestum inconveniens, ut ex discursu, quem modo conficiam, constabit. Respondet Durandus (4. dist. 41. q. 6. n. 11), Christum non natum fuisse per naturalem locum sine eius corruptione, aut divisione, sed solum per dilatationem partium divina virtute factam, ad eum modum, quo secundum d. Augustinum (l. 17. de Civ. Dei), foeminae parent in statu innocentiae sine dolore per solam dilatationem partium. Contra: quia Ezechiel ait: *Porta haec clausa erit, et non aperietur*: ergo nec per dilatationem, aut laxationem, ad modum, quo os aperiri solet, aperta fuit, hoc enim esset vere aperiri, sicut et os vere dicitur illo modo aperiri. Unde Hesychius (*hom. 1. de laud. Virg.*) dixit: *Nequaquam ree glorie vincula virginitalis laxavit, aut dilatait*: et Prolus Nicaenus (*hom. de Christ. Nat. in Concil. Ephes. tom. 6. cap. 7*): *Ila enim, inquit, ex utero est egressus, sicut per aures ingressus; ita natus, sicut conceptus*: sed in conceptione nulla fuit dilatatio partium claustrum virginis, ut fatetur ipse Durandus: ergo neque in partu. Tum quia, si partus Virginis futurus esset sicut in statu innocentiae per solam partium dilatationem, non ita illum exaggeraret concilium Tolet. 11. cum d. Augustino in epist. sua dicens: *Si haberet exemplum, non esset singulare; fatentur ergo Deum aliquid posse, quod nos fatemur investigare non posse*. Alio secundo, quos suppressis nominibus refert Durand. (*ubi supra*), respondent Christum egressum fuisse in nativitate, salva matris integritate, quia non transiit per medium, sed de extremo ad extremum, ita ut prius esset in utero, et postea extra alerum ex divina virtute id operante. Sed contra est, quia in concilio Ephes. (*in confess. fidei in princ.*) dicitur, quod *Filius Dei nativalem nostram sustinuit, ex vulva homo de muliere procedens*: et infra (*cap. 3*) ait: *Verbum similiter, ac nos, homineum ex muliere processisse*: ergo sentit processisse per medium claustrum; alias non salvaretur in Christo perfecta et formalis ratio nativitalis humanae, neque in Virgine ratio formalis humani partus. Alii tertio respondent, ut refert Abulensis (*paradox. c. 64*), quod Christus exivit per naturalem locum, salva matris virginitate, quia in egressu

ex utero illius non se habuit modo quantitate, sed in Eucharistia. Sed contra: tum quia eo modo exivit Christus ex Virgine, quo fuit in utero: sed in utero fuit modo quantitativo, ergo sic exivit: tum quia Patres communititer dicunt, Christum ita egressum fuisse ex utero, sicut egressus ex sepulchro, et ingressus est ad discipulos ianis clausis; tunc autem modo quantitativo existens exivit, et intravit: tum quia non tam mirabilis erit natiuitas Christi, si modo indivisiibilis existens ex utero matris exierit, ac si modo quantitativo se habens, sine violatione claustrum virginis egressus fuerit.

Alii quarto dicunt, Christum sine matris corruptione egressum fuisse ex eius utero, quia divina sua virtute ita coarctavit, et compressit corpus suum, ac in tam subtilem figuram redegit, ut sine ulla dilatatione, aut nova apertione claustrum virginis per locum ordinarium exierit, in quo certum est dari naturalem aliquam apertionem etsi minimam. Sed contra: tum quia iuxta hanc solutionem non potest salvari partum Virginis, aut Christi natiuitatem fuisse in se ipsa miraculosa; nam facta illa magna compressione corporis Christi commensurata apertioni naturali illius loci, certe sine ullo miraculo egredi potuisset: sed natiuitas illa non esset in seipsa miraculosa, quae ratio etiam convincit praecedentem solutionem esse nullam: tum tandem, quia haec solutio fingit in corpore Christi novam et indecentem figuram absque aliqua necessitate.

Quare respondeo, quod Christus Dominus exivit ex Virgine, salva et incolum eius virginitate, quia se penetravit cum claustrum virginale, et cum partibus proximis illis, quanto opus fuit ad exitum capitis, et corporis. Haec solutio est communis Patrum, et theologorum, d. Hieronymi (*sup. Isa. cap. 7.*), Gregorii (*hom. 26. in Euang.*), Augustini (*22. de Civ. cap. 8. et tit. 125. in Io.*), Chrysostomi (*hom. 2. de Symb.*), Theodoret (*dist. 2.*), Euthymii (*in Matth. 28.*), Theodori (*dist. 2.*), Nazianzenii (*hom. de Christo*), Maximi (*homil. de cruce, et sepul. Christi.*), et d. Thomae (*4. d. 44. q. 2. art. 2. quaeest. unc. 3. et quodl. 6. art. 18.*) Accipit enim Christus Dominus transeunt, dum vixit, quatuor dotes; agilitatem, cum ambulavit super aquas; claritatem, cum in transfiguratione resplendit facies eius sicut sol; impassibilitatem, prout erat in Eucharistia; subtilitatem tandem in egressu tum ex thalamo virgineo, tum ex sepulchro, cum quibus virtute huius dotes vere se penetravit. Sed contra occurrit duplex replicatio: prima, quia sequitur Virginem non concurrisse effective ad sum partum, quod est contra veritatem partus: nam Christus virtute sua divina se penetravit cum claustrum virginale; ergo ex vi huius penetrationis egressus fuit ex utero materno, seclusa omni vi impulsiva matris; hanc enim opus non erat exhibere: siquidem Christus virtute sua se penetrabat, virtuteque sua propria egrediebatur. Secunda replicatio, quia repugnat duo corpora quanta se penetrare, et eundem locum adaequate occupare: nam per quantitatem redditur corpus formaliter impenetrabile: ergo quantitate manente, re-

pugnat actu esse penetrationem. Dices: repugnare naturaliter, non supernaturaliter. Sed contra, quia quantum quantitate molis essentialiter est impenetrabile; est enim ipsa quantitas, ipsa formalis impenetrabilitas: ergo nec supernaturaliter potest actu penetrari. Probo consequentiam, quia haec est evidens consequentia: punctum est essentialiter indivisibile: ergo repugnat ei per omnem potentiam actualis divisio: ergo similiter haec erit evidens illatio: Quantum est essentialiter impenetrabile: non enim impenetrabilitas convenit ei accidentaliter, aut ab extrinseco, sed ab intrinseco; ergo repugnat ei actualis penetratio, etiam per omnem potentiam. Explico vium huius rationis: quia repugnantia huius quanti ad occupandum eundem locum, qui occupatur ab alio, non provenit a quantitate, ut a causa effectiva, cuius influxus impeditur potest, sed ut a causa formalis, quae existens in subiecto impeditur illi: est: ergo manente quantitate implicat non manere eandem repugnantiam, aut illam impediri per omnem potentiam, ut expresse docet Durandus (*4. dist. 44. q. 6.*), cuius sententiam, ut probabilem, sequitur Palud. (*q. 3.*) Respondent quidam ad primam replicam, quod sicut ad hoc, ut dicatur b. Virgo vere genuisse Christum, sufficit passive tantum concurrere ad generationem, secundum probabilissimam d. Thomae sententiam asserentis, foeminas non concurrere active ad illam, ita etiam ad veritatem, b. Virginem peperisse Christum, non opus est, ut active ad partum concurrerit, sed passive tantum. Ego vero respondeo, b. Virginem etiam vium adhibuisse, quam aliae matres ad emittendum prolem active adhibere solent, absque dolore, et labore; divina tamen virtute factum esse, ut partes uteri Virginis nihil resisterent corpori Christi, quod active a seipsa emittit. Ad secundam replicam respondetur, quantitatem ad hunc sensum esse essentialiter impenetrabilem, quod repugnat eius essentialiter eundem locum naturaliter occupare, quem occupat alia quantitas; quo etiam modo calor in summo essentialiter est incompatibilis cum frigiditate in summo, quia repugnat essentialiter illius naturaliter esse simul cum illa in eodem subiecto, licet alias ex divina virtute id non repugnet. Quare haereticis, quibus impossibile apparet, Virginem salva virginitate concipere, et parere posse, b. Maximus (*homil. 3. de Nativ.*) respondet: *Si contra naturam esse contendis, quod in mysterio redemptionis nostrae sine viro puella asserit concepisce, cuius quoeso naturae est, quod in parente generis nostri caro sine carne formata est?* Respondet etiam d. Ambrosius (*ep. 81.*) dicens: *Quid incredibile, si contra usum originis naturalis peperit Maria, et virgo permanet, quando contra usum naturae mare vidit, et fugit, atque in fontem suum Iordanis fluentia remearunt? non ergo excedit fidem quod virgo peperit, quando legitimus, quod petra vomit aquam, et in montis speciem maris uidea solidata est:* et d. Cyrillus Ierosol. (*cathech. 15*) in hunc modum argumentatur: *Sterilis erat Sara, et deficientibus iam multo tribus, et praeter naturam peperit. Igitur cum et sterilem, et virginem parere sit praeter naturam, aut utrum-*

que nega, aut utrumque concede. Adverto tamen, quod licet naturaliter fieri possit, ut virgo concipiat non amissa virginitate, ut tenent multi doctores, cum Marsil. (*2. q. 13. ar. 1. ad 2.*), et docet d. Thomas (*quodl. 6. 18.*), ubi refert quandam puellam pubescentem, quae propter pudoris custodiam a patre in proprio lecto servabatur, concepisce atrahendo semen, quod ille dormiens fuderat, sine aliqua tamen virginis claustrum apertione: et Averroes (*2. de coelo*) testatur, virginem quandam concepisce in balneo, salva eius virginitate, per solam attractionem seminis ibi decisi a viro simul se balneante; ac denique in statu innocentiae foeminae conciperent, imo parerent, salva integritate virginis; ut docet d. Thomas (*1. p. q. 8. ad 5.*) cum d. Aug. (*14. de Civ. Dei c. 16.*), et tamen constat tunc generationem et partum fieri naturali; nihilominus tamen Christi Domini conceptio in sacratissimae Virginis utero valde miraculosa et supernaturalis fuit, cum absque virilis seminis susceptione, Spiritu sancto illum obumbrante et cooperante, inviolata semper virgo manens conceperit filium, et absque apertione aut dilatatione virginis claustrum illum pepererit.

Quarto obicitur: quia secundum fidem inter Virginem et Iosephum fuit verum et proprium matrimonium ratum, ut constat ex Matth. 1. ubi vocat Iosephum virum Mariae, et Mariae coniugem illius; et patet etiam ex illis verbis (*Matth. 1.*): *Antequam convenirent, quibus indicat, quantum erat ex parte vinculi, potuisse convenire: sed sic est, quod matrimonium ratum, verum, et proprium consistere non potest sine consensu et obligatione voluntatis ad carnalem copulam: ergo b. Virgo habuit talem consensum, et obligationem, et consequenter non fuit mente virgo; cum haec excludat omnem consensum in copulam carnalem. Consequentia huius discursus est nota: maior est de fide, ut ostensum est; minor autem, in qua est difficultas, probatur ex d. Pauli dicente (*1. Cor. 7.*): *Uxor viri debetum reddat, similiter autem et uxor viro, etc. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed viri. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ecce Apostolus docet, essentiam matrimonii consistere in mutua traditione corporum, et obligatione ad reddendum debitum.*

Deinde, vel b. Virgo post votum virginitalis emissum habuit voluntatem reddendi debitum, cum accepit Iosephum in virum suum, vel non: si dicas, habuisse: contra: ergo iam fideem irritam fecit, quia, ut constat ex cap. v. ventibus 7. q. 1. *Totentibus non solum nubere, sed velle nubere damnabile est:* si dicas, virginem nupsisse ex divina dispensatione, et revelatione: bene quidem responderetur ad salvandum virginem non peccasse nubendo post emissum votum virginitalis, tamen non videtur salvari, fuisse virginem mente, siquidem habuit voluntatem reddendi debitum: si vero e contra respondeas, eligens secundam partem argumenti, b. Virginem, cum nupsit, non habuisse talem voluntatem: contra est imprimis, (*Textus expressus in cap. b. Maria 27. q. 2.*) ubi dicitur: *B. Virgo committens virginitalitatem suam*

*dicinae dispositioni, consentit in carnalem copulam:* tum quia si non consensisset, nullum fuisset eius matrimonium, cum voluntas reddendi debitum sit intrinseca matrimonio. Dices: Beata Virginem contraxisse cum adiecta conditione, quod non esset reddita debitum suo viro, et camque conditionem libenter admisisset Iosephum. Sed contra: quia conditio, quae est contra substantiam matrimonii, reddit illud nullum, ut si dicas: contraheo tecum sub conditione, si proli generationem evites: hoc enim est contra bonum prolis, cuius procreatio est finis matrimonii: ergo si b. Virgo contraxisset cum Iosepho sub conditione, quod non esset ab eo cognoscenda, nullum fuisset eius matrimonium, nam, ut inquit Gregorius ix. et habetur (*c. finali de cond. appos.*), matrimonium fit nullum ex conditione impediende generationem prolis. Respondet ad hanc objectionem, b. Virginem ex divina revelatione ante matrimonium omnino certam fuisse, Iosephum nunquam petiturum sui debitum, et ideus opus non fuit habere actum expressum absolutum aut conditionatum reddendi illi debitum. Notanterque addo, expressum, quia in virtute, in radice, et in causa nullum est inconveniens habuisse talem consensum consentiendo in matrimonio, quod ex natura sua ad copulam ordinatur, alias nulla apparet solutio poterit assignari doct. c. b. Maria (*25. q. 1.*); hoc tamen nihil perfectio virginitalis illius derogavit, cum per id, nec corpore, nec mente quidquam integritatem eius minuent admitteret, supposita divina revelatione, quae agnoscebat, Iosephum nunquam petiturum ab ea debitum.

Ultimo obicitur: quia in veteri lege erat praecipuum ad generationem obliis, praecipue respectu illorum, qui erant de tribu Iuda propter spem Messiae: at b. Virgo erat ex tribu Iuda, et non ignorabat se obligari illo praecipuo; ergo habuit propositum implendi illud: igitur non semper fuit virgo mente. Consequentia cum minori est nota, et maior praeterquam quod est d. Augustini (*lib. de bono coniugali c. 9. et lib. 24. cont. Faustinum c. 13.*), constat aperte ex illo (*Exod. 23.*): *Non erit in foecunda, nec sterilis in terra tua:* et (*Deut. 7.*): *Non erit apud te sterilis utriusque sexus.* Quod si respondeas cum Abul Medius, et Soto, quos refert, et sequitur doct. Suarez (*3. p. q. 28. disp. 6. sect. 1.*), in praedictis verbis non contineri praecipuum, sed liberalem quandam Dei promissionem. Contra est: tum quia si fuisset promissio Dei, impleri debuisset, cum fuisset absoluta; et non omnes foeminae, nec viri heretici erant foecundi, sed multi steriles: ergo tibi non continetur promissio, sed praecipuum: tum quia sancti Patres, cum d. Augustino (*cont. Faust. c. ult.*) citant dictum esse in veteri lege, quamvis in vulgata editione non habeatur: *Maledictus sterilis, qui non suscitaverit semen in Israel:* at poena maledictionis non cadit, nisi super culpam violationis alicuius legis: ergo in praedictis verbis lex continetur, non promissio. Sed haec facile diluuntur: dicendum enim est illam promissionem non esse ita stricte intelligendam, ut omnes, et singuli

futuri essent foecundi, sed quod in plurimum id eveniret. Ad illum vero locum respondeo, ex eo non posse colligi fuisse praeceptum prohibens a nuptiis abstinere, sed ut plurimum, et ex suppositione, quod quis vellet ducere uxorem, teneret fratris defuncti uxorem accipere; nec aliud intendunt Patres ibi relati.

Ex praedictis omnibus in discursu totius huius libri de integerrima Mariae virginitate colligo, quod cum habeamus firmissimam Ecclesiae catholicae auctoritatem, et clarissimam nostrorum maiorum, omniumque sanctorum Patrum ab ipsis etiam Apostolis traditionem, qua, velut inexpugnabili muro, interemerat Deiparae virginitas adversus quoslibet hostium impetus se tuetur, etiam si sacrae Scripturae te-

stimoniis destitueremur, quae tamen non desiderantur, cum pene innumera, et caque illustrissima adduxerimus, omnes tamen catholici perpetuam Deiparae pudicitiam, nunquamque violatam integritatem constanter profiteri deberemus. Atque his, ut quondam dixit d. Idephonsus in simili Marianaevirginitatis pro-pugnacione: *Arbitror me per virtutem Dei, hostem, ut potui confodisse, reliquisse caesum, abiecisse enervatum, exanimem dimisisse. Unde et pallidus adest, exanguis superest, defessus angitur, fatigatus manet, concisus tacet, confosus ruit, elisus interit, de vitali flatu nihil superest, quia illum graviter sauciarunt sagittae potentis acutae; cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

## FINIS PRIMI VOLUMINIS

## INDEX HOMILIARUM

## LIBER PRIMUS

## DE SACRIS ARCANIS AETERNAE PRAEDESTINATIONIS AC IMMACULATAE CONCEPTIONIS DEIPARAE VIRGINIS MARIAE.

## Homilia Prima.

Quom arduum, ac perdifficile sit de Mariae laudibus concinne eloqui, aurea ex sanctorum Patrum verbis contexta catena palam facit . . . . . 1

## Homilia Secunda.

Ostenditur, beatissimam Virginem inter omnes puras creaturas primum, ac principem locum tenere in divina praedestinatione, ex quo illibata eius conceptio comprobatur, in illa verba: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret: Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram . . . . . 5

## Homilia Tertia.

Praedestinatum fuisse beatam Virginem in Matrem Christi Domini, et coadutricem illius ad redemptionem generis humani, priscorum Patrum monumentis ostenditur: ex quo immaculatam fuisse eius conceptionem non obscure deprehenditur. . . . . 9

## Homilia Quarta.

Deum singularem curam habuisse, ut immanis esset conceptio beatae Virginis a peccato originali, cuius natura more concionatorio explicatur; simulque ostenditur, doctrinam hanc coelitus esse delapsam; et rationes aperiuntur, ob quas de-cuit, ut adhuc sub iudice sit. . . . . 13

## Homilia Quinta.

Prosequimur idem argumentum, duplicem aperientes viam, qua intelligi potest, Deum facile beatam Virginem a peccati originali macula praeservasse. . . . . 16

## Homilia Sexta.

Ex triplici figura, civitate scilicet davidica, arca testamenti, et Salomonis throno, immaculatae Virginis conceptio singulari eruditione deducitur . . . . . 19

## Homilia Septima.

Per multis altis figuris idem illibatae concep-

tionis Deiparae argumentum locupletamus. . . . . 22

## Homilia Octava.

Varia sacrae Scripturae loca, ad eandem illibatam Virginis conceptionem illustrandam, secundum mysticam intelligentiam, pulchre explicantur . . . . . 24

## Homilia Nona.

Ostendimus, ab instanti suae conceptionis b. Virginem purissimam, ac pulcherrimam fuisse, atque adeo omni peccati macula carentem, in illa verba Cantico- rum: Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te: quae multiplici Patrum eruditione, variisque animi conceptionibus elucidantur . . . . . 28

## Homilia Decima.

Variis similitudinibus, tam ex sacris literis, quam ex humanis monumentis de- promptis, Virginis conceptionem immaculatissimam fuisse ostendimus, in eadem verba: Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. . . . . 31

## Homilia Undecima.

In honorem immaculatae conceptionis Deiparae Mariae erudite explicantur verba illa Cantico- rum: Quae est ista, quae progreditur luna aurora consurgens; pulchra, ut luna, electa, ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata . . . . . 35

## Homilia Duodecima.

Sub metaphora templi, et domus Dei variis locis sacrae Scripturae, multisque animi conceptionibus illustrata, immaculatae Virginis conceptio magis stabilitur . . . . . 38

## Homilia Decimatertia.

Sub metaphora tabernaculi immaculatam Genitricis conceptionem ostendimus, in illa verba davidica: Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus . . . . . 42

## Homilia Decimaquarta.

Ostenditur, Dei Genitricis conceptionem minime esse regulandam, aut metiendam eadem mensura, qua reliquorum omnium conceptio regularitur, in eadem davidica verba: Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus . . . . . 46

## Homilia Decimaquinta.

Persimilem esse demonstramus beatam Virginem Paradiso voluptatis, quem Deus a principio condidit: ex qua similitudine immaculatae Virginis conceptio, ac mira eius excellentia singulari eruditione